Gesta Lynceorum

anni 1605

Scripsit hoc anni exordio Celiuagus ad omnes Lynceos epistolas ut
neque se patientia accingerent neque ob perduellium iniurias quas hactenus
passi erant, ita negligerent aut torpidi in auspicato opere fierent, neque
contra sanctitas Lyncealitatis constitutiones peccarent, placuit equidem
omnibus sed durum profecto tantam perferre tam longo tempore
inexpectatam et inventam adversitatem, ut eorum nemo nullibi tam
tutus esset nec à persequentium cavere se valeret insidijs, Ea etiam
res non una vice sola afflixit Celiuagum ut saepissime cogitaret quo pa=
cto amovere posset veteratorum teterrimam eam virulentiam, Nec
tamen ipse poterat, varijs expositus hinc inde certabatur consolationibus
literarum quae nec ipsae omnino tutae sed ab hostibus interceptae ridi=
culae erant ex nostrae miseriae, Carebat usque Sammanius fido famulo
ut neque haberet quem certo ad tabellarium transmittere potuisset co=
actus ea de causa uti Rizotomo eiusque deferendi ferendique epistolas
curam demandare. cum vero existimaret nummorum copiam profuturam
commoditati Lynceorum metallorum quoque nonnullas transmutationes sed
inutiliter expertus est. [illegible] Interea Pragae Monerus degebat et ve=
luti fido patrono Nuntio sua omnia fidebat nihilque dessus mali suspi=
cabatur sed auxilium potius etiam certo sibi sperabat, Ille vero
clam contra literis, contra ipsum agebat. eos omnes quoque in imperato=
ris aula quos familiares et amicos Monerus sibi fecerat de=
trahebat avertebat et in suam sententiam pervertebat, Quod ani=
madvertere haud potuit et si videret de repente proceres eos om=
nes qui antea promptissimos se illi exhibuerant contemptum
eius fere ostendisse. Nihil enim amplius favebat Festenberg, tepu=
erat Brancius, defecerat Mansfelt Doria et similes. Solus Rosberg
permansit consistens ac stabilis, immo dixit Illuminato caveret
sibi à Nuntio eo quod occultam ei minitabatur noxam et se certo hoc
scire affirmabat, credere tamen id haud potuit omnino, Illu=
minatus, tam sincerae amicitiae nostrique familiaritati fidebat immo
fere horruit cum Comitem Rosberg qui hoc narrabat existimans eum
ita dicere ex odio adversus Nuntium. Videbatur quippe nuntius nulli
se fidere in tota familia praeterquam Illuminato ei interdum arcana enar=
rabat aliqua, tandem abstulit ipsi abditam epistolam cuiusque eorum reli: